SIMONIS
COSMOPOLITAE
EPISTOLA APOLOGETICA
PRO
JANO PLANCO
AD
ANONYMUM
BONONIENSEM.

1879

ARIMINI
M DCCXLV.
IN AEDIBUS ALBERTINORUM
SUPERIORUM AUCTORITATE.

SIMONIS COSMOPOLITAE EPISTOLA APOLOGETICA PRO JANO PLANCO AD ANONYMUM BONONIENSEM.

ANte diem IV. Idus Septembrias per publicum Tabellarium allatae ſunt Bononia Planco noſtro Animadverſiones tuae in Commentarium ejus Vitae. Paullo tamen antea rumor de iis ad nos afflaverat, ut Muratorius ipſe rogatus ad Plancum amicum Animadverſiones illas Mutina miſerit, in qua Vrbe Typis Turrii prodierant. Verum, ut tecum agam amice, & aequo jure, in iis expendendis non Mutinenſi, ſed Bononienſi utar exemplari, in quo paginae quattuor mendorum, quae inrepſerant continentur, & corriguntur, qnamquam diverſa charta, diverſoque charactere ſint exaratae, ut plane perſpiciatur emendationes iſtas tuas Bononia prodiiſſe. Vtrumque exemplar attente legit Plancus, ſed quum ipſe aliis gravioribus ſtudiis modò ſit occupatus, mihi, qui comes fere perpetuus fui itinerum, ſtudiorumque ejus omnium, quique propterea tribus abheinc annis commentarium ejus Vitae conſcripſeram integrum eſſe dixit, ſ

vel-

tem, ad te reſcribere, dummodo amice, & ratione tantum lenibuſque verbis tecum agerem, ut ea quae a te in ipſum immerito, & in me acerbe & inimico animo dicta ſunt refellerem. Plancus enim, & ego minime tibi irati ſumus, quod tu Animadverſionum ſpecie Libellum illum, & Satyram acerbiſſimam in ipſum, & in me conſcripſeris. Tantum enim abeſt ut Plancus propterea iraſcatur tibi, ut pro ingenio ſuo liberali & magnanimo te meis verbis in domum ſuam, ſi quando Ariminum veneris, invitet; ut Cajus Caeſar Dictator dicitur Valerium Catullum ad Coenam invitaſſe eo ipſo die, quo ſatyricos verſiculos in ipſum conſcripſerat. Scit enim Plancus *turpius eſſe frigide laudari, quam inſectanter*, ut Favorinus apud Gellium habet, *& graviter vituperari. Quanto enim qui maledicit id acerbius facit, tam maxima mole pro iniquo, & inimico ducitur: & plerumque propterea fidem non capit.* (l. 19 c. 3.) Quare Plancus gratias tibi habet, quod tam acerbe in eum ſcribas, & maledictis eum perpetuo proſcindas: *Stinium*, etiam, *Bifrontem*, *Mimum*, *Pantonimum*, *Bergomatem*, *Faunum*, *Satyrum ridicularium* definitione quadam conglobata, ut vocant Grammatici & Rhetores

tui

tui appellare eum non erubeſcis (*pag.* 5).
Et paullo inferius eum *rabido furore percitum facis*, *& jura pene divina humanaque contemnentem*, & (*pag.* 6.) *Ardelionem* vocas *malignum protervum, arrogantem & hostem non metuendum*; Sic *pag.* 28. & alibi *formidoloſum, & audacem facis*, *& ſolemnis arrogantiae, inſolentiae & impoſturae reum dicis*, & *pag.* 34. *mordaciſſimum & rabidum Canem* appellas *lapidibus & fuſtibus propulſandum*, & *pag.* 41. *Baſtazontam*, ſeu *Bajulum Purgamentorum maris vocas*, & pag. 54. *oſtentatorem ridiculum*, *cymbalum reſonans &c.* vocas, & *pag.* 60. *geſticulatorem mimicum* appellas, ſed Libellus tuus integer eſſet exſcribendus ſi contumeliae omnes, quae perpetuo in Plancum jacis congerere vellem. Quare, ut dixi, gratias tibi Plancus habet meo nomine, quod tam acerbe, & tam inimico animo in eum ſcripſeris, ut propterea fidem nullam inde capias. Sic ego, qui modo pro Planco defenſionem ſcribo gratias tibi ago, quòd omnia ejus facta, & dicta in malam verteris partem, ut ne eleemoſynam quidem & gratis Pauperum aegrorum curationem, in eo probaveris (*pag.* 19). Si enim aliquando veritatem aliquam de Planco dixiſſes, & geſta aliqua ejus probaſſes, ut

quam-

quamplurima ſane probare poteras , difficilius fuiſſet mihi ad te reſpondere ; Tunc enim a me vera a falſis eſſent ſecernenda , & quaedam probanda , quaedam reprobanda fuiſſent. Verum quum omnia in malam partem vertas, & quum in omnibus mendax ſis , unico verbo, unica ſcilicet negatione tibi reſpondeo . Nego igitur Te ullam veritatem de Planco eo in Libello tuarum Animadverſionum dixiſſe , ſed in omnibus ajo te , & per omnia fuiſſe mentitum

Verum quia non omnes , praeſertim Vulgares quidam , qui Plancum non norunt ſimplici meae negationi fortaſſe non acquieſcerent , ut iis fidem faciam praecipuos errores tuos facti , ſeu ſplendidiora tua mendacia heic in medium afferam, quibus in fine addam quaedam pro Planci , & mei dictione , quam perpetuo carpis , licet immerito ſemper , ut peritus in lingua latina artifex videaris , quum eam , ut apparet , ne a primo quidem limine ſalutaveris .

Quum a nomine in re qualibet tractanda ſit exordiendum , Tu Planci nomina variis in locis carpis , & ridicula dicis , & quum ipſe Simonis nomine fuerit a Parentibus donatus in Avi memoriam , dum ſacro baptiſmate ablueretur , & ipſe aliquan-

138

quando hoc nomen uſurpaverit, praeſertim in Epiſtola contra Tacconum, & contra Biancum tuum Taurinenſem, tu dicis *ridiculum* eſſe hoc *nomen & comicum* (*pag.* 67.), ut id *merito* Plancus in Commentario ejus Vitae *dedignetur*. At ego, qui eodem nomine vocor non video quomodo ſit ridiculum, & quomodo Tu hoc ſanctiſſimi Chriſti Apoſtoli & Martyris nomen derideas, cujus Eccleſia Catholica ſequenti menſe feſtum ſolemniter celebrat. At ne apud Comicos quidem ridiculum erat hoc nomen, quum non Lenonis, neque Stupidi cujuſdam eſſet, ſed Senis nomen ſit, ut illud Chremetis. Praeterea Philoſophi, Medici, Rhetores & Statuarii illuſtres fuere, ut apud Laeritum videre eſt (*L.* 2. *cap.* 14.) qui Simonis nomine veteribus appellati ſunt. Et noſtris temporibus, ut permultos Auctores, qui hoc nomine appellantur praeteream, ſolum *Simonis Paulli* egregii Botanici nomen, qui in ore *Triumphetti* doctoris eximii, & popularis tui ſemper erat, & illud *Richardi Simonis* acutiſſimi hominis ſufficere poterant, ut Plancus & ego hoc nomen numquam *dedignaremur*. Si hoc plerumque non utitur Plancus id brevitatis cauſſa facit, qui eodem pacto non utitur etiam alio ſuo *Paulli* no-

mine,

mine, quo tamen aliquando uſus eſt, ut in Titulo orationis ſuae, quam Bononiae pro Studiorum inſtauratione anno CIƆIƆCCXIX. habuit, quod utrumque Tu, & Grammatici quidam tui ſimiles tunc tantopere irriſiſtis, quod duplici L eſſet ſcriptum, & *Simo* ſine N in recto caſu, recepto tamen utrumque Latinorum more & non Graecorum. Et quum Ego & alii ante me dixerint primùm Plancum uſum fuiſſe in controverſia inter ipſum & Biancum Taurinenſem ſimplicibus nominibus *Jani Planci*, quae paullo ſunt a ſuis detorta, ut a Turba reliquorum diſtingueretur, qui *Bianchi* ſeu *Blanci* in Italia vocantur, Tu ais ſolum Taurinenſem tuum eſſe hoc nomine inſignitum, & Ariminenſem noſtrum, quare de Turba nihil Planco eſſe metuendum, quum unus aut alter Turbam proprie ex Vlpiano non faciat. Verum Tu, qui inter Grammaticos ſemper fuiſti ignoras eo ipſo tempore, quo Plancus Bononiae degebat treis alios Biancos Medicos illeic fuiſſe, Cremonenſem nempe unum, qui Bazzani & Valſalvae erat Auditor, & Raguſinus alter egregius adoleſcens tunc, & vir eximius nunc, qui Vindobonae medicinam facit, & tertius Taurinenſis tuus. Quare ſi quattuor *Bianchi* uno eodemque

fere

fere tempore Bononiae tantùm eſſe poterant, Cur de confuſionis turba timeri non poterat a noſtro? Et cur ipſe aliis nominibus a ſuis tamen paullo detortis, ut confuſionem vitet uti non poterit? Sed de Planci nominibus ſatis; veniamus modo ad tua.

Te in hoc Libello Anonymum facis & Bononienſem, ſed vox illa Anonymi paullo eſt detorta a genuino tuo nomine, & quum iniquo jure utaris ſemper voce *Bolbonis*, quae in meo Commentario Typographi vitio eſt, loco illius, quae in calce libri emendata legitur, & quum ipſum *Bolbonium* (*pag.* 31., *&* 32.) extollas, ipſumque Auctorem facias duarum Epiſtolarum *Homyreni Bonodes* nomine, facile ſane per anagrammatis reſolutionem, ut grammatici tui norunt, nomen tuum inde perſpicitur, quo tamen numquam aperte utar, ut aequiori jure tecum agam, quam Tu mecum, & cum Planco noſtro es uſus.

Verum fortaſſe cauſſam quiſpiam exquiret odii tui in Plancum, quum nulla fere ſubſit inter diſpares invidia; Tu enim ſimplex Grammaticus es & Paedagogus, ille vero egregius Medicus, & Philoſophus; Figulus enim figulum odit, ut fert adagium, at non Grammaticus Me-

dicum

dicum odit , quocum nulla res eſt. Verum ſciendum eſt (quod & Tu in Epiſtolis illis tuis Bonodei nomine ſateris) Te a Planco fuiſſe amice quondam in Rumerti Bibliopolio xxv. abheinc annis, dum ipſe Bononiae morabatur , de erroribus quibuſdam , quos in Calendarii tui libello commiſeras , male enim , quamquam te magnum Grammaticum praedicaras , utebaris voce *nedum* (*pag ultima*) pro *non ſolum* , ſeu *non modo* , contra ac fert linguae latinae ratio , ſed quod caput erat , ſex in locis tibimetipſi contradicebas eo in libello , nam quum ibi ſcripſiſſes Januarium menſem , Aprilem , Sextilem , Septembrem , Novembrem , & Decembrem viginti tantum novem dies habuiſſe temporibus Ciceronis , tamen pro die trigeſima , & pro trigeſima prima , ſi diis placet , anctoritates Epiſtolarum familiarium , & ad Atticum ipſiuſmet Ciceronis adducebas , quibus , ut Plancus tibi amice admonuit , manifeſta tua apparebat contradictio , & inſcitia . Tu ex eo tempore iratus ſemper fuiſti Planco , cui potius gratias agere debueras , quod te docuiſſet , amiceque monuiſſet . Quare quum paullo poſt Bononia diſceſſiſſes , ut una eſſes cum Loricato illo tuo pſeudogeometra , & grammaticam , ut

dixi

dixi in Commentario Vitae Planci Auguſtae Taurinorum doceres, ibi nr. rem gratam Taurinenſi illi Anatomico contra Morgagnum, contra Puteum, at praeſertim contra Planrum, faceres, informeis illas Epiſtolas *Bonodei* nomine edidiſti, in quibus mercede conductus, & odio nullum contumeliarum genus praetermiſiſti, ut Plancum immeritum proſcinderes, quibus tamen ſapienter ille reſponſum fecit nullum, ut ego in Commentario ejus Vitae dixi. Sed hactenus de Tui, & Planci nominibus, & de cauſſa odii tui in Plancum; veniamus modo ad errores, ſeu ut melius dicam, ad mendacia facti, quae in Animadverſionibus tuis habes.

Principio inepte Planco paupertatem exprobras, & male (*pag* 9) Orphanum eum dicis, quum Orphanus modo dicatur is, qui patre caret & matre, cui vero tantum Pater mortuus eſt Pupillus dicitur, ut dicendus erat Plancus in octavo ſuae aetatis anno, quando Pater ejus occubuit, cui tamen ſuperſtes fuit moribus candidis *Candida* Mater ex Collenucia gente, ut ego dixi. Verum Plancus tam pauper & abiectus, ut ajs, quomodo repente factus eſt dives, & probatus, ut Graecae Linguae, ut Philoſophiae, & reliquis egregiis Studiis libero homine

dignis

dignis per quinquennium Arimini potuerit operam dare, ut a Sectetis fieret Coetus nobiliſſimi, qui coram De Via Cardinali cogebatur? Quomodo potuit propriis ſumtibus per quadrienium Bononiae, & Patavj manere, Togam in Medicina, & in Philoſophia ſplendide ſumere, Bibliothecam nobilem ſibi comparare, Muſeum inſtructiſſimum habere, tot itinera per triginta & amplius annos per univerſam Italiam ſuſcipere? Fatetur ſane Plancus ſe non eſſe admodum divitem, neque Patrimonium auxiſſe ſuum, quum ipſe non divitiarum, ſed ſcientiae tantum, & verae gloriae ſit cupidus. Tamen Tu, ut & Adiutores, Adhortatoreſque tui, Semiſenenſis nempe ille monticola, & Nomenclator ille magnus Tyrrhenus, Paedagogi utrique ampliſſimi (tectis ſemper nominibus vobiſcum agam) numquam Planco noſtro paupertatem exprobrare debueras; Tu qui, ut & illi, alieno aſſe adiutus humilis ſacriſiculus factus es, qui ut vitam paullatim melius ſuſtentes paedagogus; ut & illi, ſemper fuiſti? Tu exprobras paupertatem Planco, qui quando ipſe inter Coetus praeclarorum Virorum doctrina, & nobilitate praeſtantium Bononiae florebat, cum puerulis tuis per urbem velut ignobile mancipium concurſabas.

bas. Verum Plancus licet ita pauper, & abjectus, ut eum fingis, meruit ut Patria in Nobilium Coetum eum cooptarit, & honeſto ſtipendio duobus Senatusconſultis honorificentiſſimis, altero, ut eum retineret, altero ut eum ab Etruria, ubi primario loco publice docebat, revocaret. Te vero mi Bolboni, quoniam Bolbonii nomine gaudes (*pag.* 32.) quamquam tantum te in ſcientiis & ſcriptis editis glorieris, & quamquam defenſor Patriae tuae dicaris (*pag.* 8), tamen Patria tua glorioſa ſemper humi jacentem deſpexit, & ſivit per tot annos inter Allobrogas vagantem, ut & modo ſinit inter Gallos Senonas male conſiſtentem. Cur non accurrit Patria, ut te erigat, & in florenti Archigymnaſio ſuo te collocet? Sed providi Cives tui noſcunt te, & ſimiles tui intus & in cute, ut eſt in proverbio; quare humi dejectus ſemper jacebis.

Et merito jacebis, quum peregrinus omnino ſis in propria Patria. Ut Plancum enim carpas ut in omnibus ſemper, & per omnia facis, & ut quicquid ipſe dixerit feceritve recte, extenues atque more tuo infirmes, nullam gloriam ipſi oriri ajs, quod anno cIↃIↃccxix. ſplendidam orationem Bononiae in Archigymnaſio pro Studiorum inſtauratione habuerit

coram

coram Legato, Prolegato, omnibuſque Bononiae Magiſtratibus, & praeſentibus omnibus Bononiae Doctoribus, reliquiſque eruditis, inter quos Euſtachius Manfredius, qui pro ſua in Plancum Benevolentia Auditores adduxit duos longe doctiſſimos, Abbatem nempe Guidonem Grandium Piſanae Academiae in Matheſmaticis Profeſſorem celeberrimum & Coeleſtinum Galianum Abatem & ipſum, & in Romana Academia Profeſſorem, & modo in Neapolitana Curia Praeſulem ampliſſimum, quos honoris cauſſa ſemper nominatos volo, qui tunc Bononiae erant, ut dixi in Commentario Planci, ut exundanteis parvi Rheni Aquas cognoſcerent, alluvioneſque ejus hydrometricis artibus depellerent. Tu inquam (*pag.* 19.) ut omnia Planci infirmes imperite ais: *Huiuſmodi actionem publicam, diſcipulorum Humanitatis, vel Rhetoricae Candidatorum eſſe propriam, impetrata tum a Senatoribus, qui Bononienſi Liceo praeſident, benigna conſenſione, tum ab eloquentiae profeſſore licentia.* Quae omnia falſa ſunt & inepta, offenduntque tuam in Juribus, & Privilegiis univerſitatis Patriae tuae imperitiam, ut merito peregrinus in propria Patria videaris, Oratio enim pro Studiorum inſtauratione, quae quotannis

Oct-

 142

Octobri menſe habetur in Archigymnaſio Bononienſi ad *Legiſtas* alternatim, & ad *Artiſtas*, ut vocant ſcholares pertinet, & prior aeſtivus Vniverſitatis jus habet eligendi Scholarem, qui inauguralem illam orationem habere debet, ut reipſa accidit temporibus Planci, qui lectus fuit ab Antonio Ronchio Mutinenſi, qui tunc Artiſtarum Scholarium Prior erat aeſtivus, cui Plancus erat a conſiliis, & primus Artiſtarum Praeſes. Imo tantum abeſt, ut Rhetoricae Candidati, & Diſcipuli *Humanitatis*, ut ajs, hoc jus habeant, ſed tantum, ut dixi, Priores Vniverſitatis habent, ut eo anno quo legiſta ~~Scholaris orationem~~ habet, praemium accipiat ex legato Teſtamenti Abatis Fornaſarii, ſi eum nominet. Verum, mi Bolbonj, cave, dum Plancum extennare vis, ne externorum Scholarium jura infringas, ſcis enim quam acriter, & quam juveniliter ea defendant. Falſiſſima deinde ſunt, & omnino inepta & conficta illa verba, quae ex Planci Oratione memoras, ipſique affingis. Plancus enim numquam tam inepte eſt loquutus. Verum ipſe brevi fortaſſe edet Orationem illam, qua perſpectum fiet judicium, quod de ea tunc protulerunt Euſtachius & Gabriel Manfredius egregius Mathematicus, &

Vir

Vir ſummus uterque, qui publice dixerunt, neque ſplendidiorem orationem a quopiam concinnari potuiſſe, neque ſi Civis eſſet Bononienſis tam amanter pro Patria ſua dicere potuiſſet, ut ex hoc ſolum civitate donari Plancus merito, ſi aliud non ſupereſſet, debuiſſet. Tu vero, Bolboni, dum Planco quiſque bonus, & ſapiens gratulabatur lividulus cum Paedagogis tuis ſeorſim muſſitabas, & Orationis Titulum carpebas, quòd in eo Paulus duplici L, & Simo ſine N. eſſet ſcriptus, & ſimilia inania in Plancum congerebas, nequicquam, quoniam nemo ſanus ad te animum advertebat.

Verum ſi peregrinus appareas in rebus Academiae, ſeu Univerſitatis celeberrimae Patriae tuae, videamus modo an melius verſatus ſis in litteraria Hiſtoria rerum tuarum grammaticarum. Tu ajs (*pag.* 9) ex uno Donato Plancum pracepta hauſiſſe latine loquendi apud Lojolitas, at Lojolitae, ut omnes norunt, numquam Donatum docent, ſed relinquunt docendum minutis Paedagogis tui ſimilibus, ipſique tamquam pro aris & focis pugnant pro Alvaro ſuo.

Si peregrinus es in ipſa grammatica tua nil mirum ſi numquam hoſpitatus ſis in Hiſtoria Philoſophica, & , ut videaris erudi-

 193

ruditus, ut melius Plancum ſemper perſtringas, ſi monſtra Hiſtoriarum loco narres. Quum tibi ſtatuiſſes, ut Plancum in omnibus & per omnia derideres. Subſannas omnia ejus erudita itinera, ipſique vitio vertis, quod per Italiam ſit peregrinatus. Sic enim ais (*pag* 25.): *In hac Jam vita non niſi peregrinationes, itinera, & pluſquam duplex vafri* Vlyſſis. *Cui vero tanta erat res peregre curſitandi? Sic erat ingenium, ut videlicet ſe reddat* Janus *Platoni ſimilem, qui de Graecia in Italiam proficiſceretur ad viſendum* Pythagoram *Philoſophum*, vel Pythagoram *ipſum aemuletur*, qui Aegyptiorum Perſarumque *regiones adivit*, ut Sophos, Caldaeos, & Gymnoſophiſtas *cognoſceret*, *audiret &c* In hac breviſſima tua hiſtoria, ut Plancum irrideas in itineribus ſuis ter peccas. Primum quod facis Pythagoram Platoni aequalem, quum inter hos duos Philoſophos aetas fere duorum ſaeculorum intercedat. Pythagoras enim natus eſt Olympiade LIII. & Plato non niſi poſt Olympiadem CVIII natus eſt, ut ex Stanleio diſcere potes II. Pythagoras numquam venit in Perſarum regionem, niſi pro Perſarum regione intelligas Aſſyriam, & Chaldaeos. Tertio Gymnoſophiſtae numquam fuerant neque in Perſide, neque in Chaldaeo-

rum

rum regione, neque in Aegypto, ſed tantum in, India & in Aethiopia; Aſſyrii enim Chaldaeis, Perſae Magis, Aegyptii Sacerdotibus & non Sophis, quod nomen eſt Graecorum ſapientium, utebantur Philoſophorum loco, at ex his nullus usus eſt Gymnoſophiſtis, niſi ut dixi Indi, & Aethiopes. Praeclaras ſane Hiſtorias & doctrinas ex Animadverſionibus tuis egregiis in Commentarium meum de Planco noſtro addiſcimus. Audiant te praeclarum Doctorem & Hiſtoricum Bononienſes tui, quorum te jactas Patronum. Audite cum Allobroges Gallique Senones.

Eodemque pacto erras in litteraria Hiſtoria, quando inter Academicos Furfureos adſcribis *Gualterium*, & *Targionum*, quem *Targiartum* ex male lecto mei Commentario appellas, quum hi duo numquam fuerint in album illius Academiae relati, ut & quidam alii, quos ibi tu (*pag.* 23.) nominas.

Verum non minus falsa ſunt, quae aſſeris de Planco, quam ea quae negas de ipſo, Permulta enim ſunt in Animadverſionibus tuis, quae negas de Planco noſtro, quae negare numquam debueras, nam credibile eſt me, qui fui comes, ut dixi, fere perpetuus itinerum, & ſtudiorum ejus omnium, ea

me-

melius noſſe, quam tu Imo ſi Planci Commentarium ejus Vitae ab ipſomet Planco conſcriptum fuerit, ut tu vis (*pag.* 4) multo magis eſt credibile ſua ipſum melius ſcire, quam tu, vel alius quicumque. Tu enim tibi ipſi non conſtas; nam modo, & plerumque, Plancum facis Auctorem Commentarii illius Vitae, & modo alium. Sic enim loqueris (*pag.* 42) *Narrat praeterea Vitae Auctor*, ſic alio in loco ſimplex *Narrator* a te nominatur, ibique liquido non ipſemet Plancus fit illius Commentarii Auctor. At ponamus Plancum eſſe Auctorem Commentarii illius, & non me. Non potius credendum eſt illi rerum ſuarum conſcio, quam tibi externo & ignaro? Nonne & alii praeſtantes Viri rerum ſuarum Commentarium reliquerunt, ut C. Julius Caeſar. Nonne igitur Caeſar credendus eſt, quoniam ſua geſta narravit? Sic Divo Auguſtino ex te nulla adhibenda erit fides quod ſuimet vitam ſcripſerit, nulla Cardano, nulla Muratorio, nulla Maffejo, nulla denique tot aliis ſummis Viris, qui id fecerunt? Quare a te negandum non erat (*pag.* 25.), vel Planci jactationi non erat tribuendum, quod in ejus Commentario ſcriptum ſit ampliſſimum Cardinalem Cornelium Bentivolum Litteras humani-

maniſſimas propria manu exaratas ad Plancum miſiſſe, ut ab eo Narratiunculas illas impetraret Certaldenſis ſtilo ſcriptas, quum revera apud Plancum hujuſmodi humaniſſimae Bentivoli Cardinalis Litterae adſerventur in perpetuum, ut dixi, humanitatis & virtutis Principis illius ſapientiſſimi teſtimonium, idque notiſſimum eſt tum Arimini, tum per totam fere Galliam Ciſalpinam, & Plancus tibi, ſi quando apud ipſum diverteris, oſtendere poterit.

Sic negandum tibi non erat (*pag.* 20.) Bacchinium a Planco non fuiſſe adiutum, ut ad Bononienſem cathedram majori ſtipendio revocaretur, quum reipſa Patavj ad Bacchinium adduxerit Plancus Franciſcum Zambeccarium, & Coeleſtinum Galianum, ut de facie eum noſcerent, & ut ipſum De Via Cardinali, & Senatoribus Bononienſibus commendarent; qui hoc facto non contentus Plancus Martellio amico ſuo Senatus Bononienſis Scribae Primario commendavit, & Euſtachio Manfredio, qui una omnes cum Planco egerunt, ut Bacchinius revocaretur majori ſtipendio. Id enim facere eſt aliquo modo juvare. Sic ibi nimis confidenter tribuis Planco ipſum prehenſaſſe multum, ut cathedram aliquam ſibi compararet, quod falſiſſimum

eſt

eſt, & cuique nota eſt Planci modeſtia, qua ipſe nil appetit, accipitque unquam, niſi ſponte ſit oblatum.

Sic male (*pag.* 22.) negas vel in dubium revocas, quin Plancum poſt Leprotum audierit in Philoſophia Nobiliſſima Mulier Laura Bentivola, & falſo eam Planco infenſam facis, quum apud ipſum innumerae exſtent Epiſtolae humanitatis, & benevolentiae plenae, inter quas una, qua a Planco teſtimonium expetit eam attente ſub ipſo Philoſophiae operam dediſſe, in qua re morem ei geſſit Plancus ex animo, & Litteris publice cumulateque teſtimonium ad ipſam dedit de ſui ſtudio, & in philoſophia progreſſu. Quinimmo eo ipſe tempore, quo Mutinae Animadverſiones tuae prodierunt, ultro Mulier Nobiliſſima, Doctiſſimaque ad Plancum Litteras humaniſſimas dedit, ut perpetuam ſuam amicitiam, gratamq. recordationem Planco confirmaret. Quae litterae, uti & ſuperiores apud ipſum adſervantur, tibi & cuivis oſtendendae Male tamen dixi ejus Litteras fuiſſe exaratas quando Animadverſiones tuae Mutinae prodierunt, dicore debueram, quando Mutinae monſtroſum partum tuum poſt triennalem geſtationem enixus es, cui ſane non Vir pietate Chriſtianus, ſed Semiſenenſis ille Mon-

Monticola, & Nomenclator ille Tyrrhenus eſt obſtetricatus.

Male item facis & inepte, quum ſis purus Grammaticus, & alienigena velle de controverſiis quas Plancus in re Anatomica, vel Medica cum variis profeſſoribus tum Arimini tum foris habuit, dijudicare, meminiſſe debueras Apellis dicti illius, quod poſtea commune factum eſt adagium; ne Sutor ultra Crepidas. Si meam, vel Planci dictionem carpas, id jure quodam tuo facis; at quo jure vis ſubtiliſſimas Anatomes, Medicinae, & Philoſophiae Quaeſtiones purus Grammaticus dirimere, & contra Plancum judicium tuum proferre? Quare nil mirum ſi odio tantum in Plancum defendis Chirurgum Ariminenſem, qui ridicule, & crudeliter credebat morbos quoſcumque externos, Tumores nempe quoslibet, Vlcera, & Vulnera Magneſia Arſenicali poſſe ſanari, quem Chirurgum poſt Planci editam Epiſtolam omnes boni ſunt deteſtati, & gratiam ipſi habuernnt, quod Patriam ſuam tali peſte liberarit.

Sic male modo defendis Taurinenſem Hominem, & Tacconnm popularem tuum, ut & peſſime olim defendere es conatus contumelioſis Epiſtolis tuis *Homyreus Bonodes* nomine, quum quaeſtio illa non gram-

grammatica eſſet, ſed anatomica, & ſubtiliſſima, an ſcilicet revera in Homine reperiantur Canales Hepato-cyſtici, & Cyſthepatici dicti, quos negat Ruiſchius, Heiſterus, & Morgagnus Anatomici ſollertiſſimi; adſerit vero Taurinenſis tuus analogia ductus ex Beſtiis & ex Sectione illa Tacconi, ſi vera fuiſſet, Quare ibi agebatur, num revera dentur Canales illi in Homine, ut Auctores illi doctiſſimi una cum Planco non dari probarunt, & Tacconus numquam eos oſtendit, ſed ficta fuit tota ejus narratio, ut Plancus & Puteus publice oſtenderunt. Quare male jactationis accuſas Plancum, quod dixerit ſe pro Morgagno in illa controverſia facti ſtetiſſe, ut revera ſtetit, & ut ſtaret rogavit per Litteras tum ad ſe, tum ad Leprottum datas Puteus uterque, & Stancarius, aliique Anatomici & Medici Bononienſes. Et ſane aequius eſt Plancum Anatomicum pro Morgagno Anatomico, imo pro veritate ipſa Anatomica ſtare, quam te Grammaticum pro Anatomico contendere nudis tantum verbis & probroſis. Quare ne mireris ſi tuis Epiſtolis contumelioſis, & clam contra fas editis reſponſum nullum ſapienter fecerit Plancus, quia abs re erant, & praeter jurgia, & contumelias nil boni continebant.

Sic

Sic ſapienter reſponſum nullum fecit *Raynaldo Dultolo* , qui te ſuadente , ut ais (*pag.* 32.) ſub ridiculis & turpibus illis nominibus *Mengonis* & *Copronymi Diapentini* latere voluit. Vocn turpia & ridicula illa nomina , nam , ſi etymon *Copronymi* noviſſet , numquam ſub tali nomine bonus ille Vir latuiſſet . Huic quamquam Medico non reſpondit Plancus , quòd ejus Epiſtolae clam contra fas eſſent editae , & quod videret ſtatum Quaeſtionis Bonum illum Virum non intellexiſſe , & tantum contra Anatomen minutam , ut vocant , ſeu accuratam declamaſſe . Sic enim exclamat Copronymus ille Diapentinus (*pag* 19) *Bone Deus ! Quamdiu eſt duratura haec peſſima Modernorum Anatomicorum occupatio erga minutas humani Corporis partes ?* Ignorabat enim Homo ille Vulgaris in ſcientiis omnibus multa eſſe addiſcenda , quae vulgus ignarum ſuperflua & inutilia judicat , at non item ii qui ſapiunt , nam in rebus iſtis minutis ſeu minimis grandis latet plerumque rerum origo . Quare quum Libros Anatomicos legeris numquam nil mirum , ſi audacter negas Heiſterum(*pag.* 32) bis de Planco meminiſſe , ut revera bis meminit in pervulgatiſſimo Compendio ſuo Anatomico *Adnotatione* 18. **

his

his verbis : *Plancus tamen etiam hic valvulas , cochleam perfectiſſime referentem vidit ;* & paullo infra de Canalibus illis Taceonianis ſic habet : *Verum in Epiſtola Joſephi Pozzi Anatomes Profeſſoris ad Janum Paullum Simonem Plancum anno 1726. edita , & in bujus reſponſione tota haec Tacconi obſervatio ficta & falſa declaratur .* Haec ſunt verba praeciſa Heiſteri , *Sodes*, quae tantopere & tot contumeliis (*pag.* 32.) audire optabas a Planco in Libello tuo .

Sic Arimini quum nunquam ſis moratus , Bolboni , quomodo fautores Circulatoris illius *Caraccioli* (*pag.* 35.) , qui ſapienter a Bentivoló Cardinali Aemiliae Legato pulſus fuerat in exilium defendis . Verum dummodo Plancum carpas Circulatores ipſos ſi diis placet defendis , & pro ipſis Obtrectatoribus Anatomes , &. cujuſcumque ſanae doctrinae ſtas .

Sic quum neque Medicus ſis , neque Anatomicus , ſed purus Grammaticus , ut toties dixi , male te in Judicem , & Cognitorem controverſiae inter Plancum , & inter Piſaurenſem illum Medicum erigis (*pag* 38.) Controverſia enim fuit de Rebus Medicis , & Anatomicis , & diverſo modo acta fuit ac tu malevolus , & harum rerum imperitus narras ; quod non

non opus eſt heic referre , modum enim Epiſtolae praeterirem , praeſertim quum Hiſtoriam illius Controverſiae in Commentario Vitae Planci ſincere narraverim Tantum ſufficiat unum aut alterum errorem facti heic in tua narratione adnotari . Ais Medicum illum poſtquam Piſaurenſi munere ultro ſe abdicaverit , & Vrbinum conceſſerit ibi favore Vrbinatium Civium factum fuiſſe Protomedicum , quum totum falſum ſit . Quilibet enim qui deſignatus eſt Vrbini Medicus Primarius, eodem quoque tempore fit is jure , & non gratia Protomedicus . Deinde noto Plancum de eo recte dixiſſe contra ac tu ais heic , quum modo Protomedicus ille Vrbinati munere ſe abdicarit , ut ad Faneſtrem Coloniam , deteriorem ſane ſedem , & fortaſſe non firmiorem contenderet . Tertio noto te omnino mentiri quando vis [*pag*. 40.] *virum illum egregium* noluiſſe *Plancanis* nugis reſpondere . Reſpondit enim , ut quiſque novit , Planco , Medicus ille Piſaurenſis epiſtola edita Typis Nicolai Gavelli anno 1731. ſed fortaſſe melius egiſſet ſi numquam reſpondiſſet

Eodem quoque pacto quum neque Anatomicus ſis , neque Chirurgus , & quum nunquam videris ſcripta Planci praeter Tac-

co-

14

ſoniana illa, male narras controverſiam inter Lapium praeclarum Lithotomum, & Chirurgum Ocularium & inter Antonium Coeleſtinum Cocchium tunc Tuſculi Medicum, & modo Profeſſorem Romanum, numquam ipſe plagii accuſavit Lapium, quem eum ne nomine quidem noverat, ſed Epiſtolam ediderat ad Morgagnum, qua contendebat oculorum ſuffuſionem ſeu Cataractam vulgo, ſemper ex Chryſtallini humoris vitio oriri, & numquam ex membrana in Aqueo, contendebatque id praeclarum ſuum eſſe cogitatum, & inventum, & quum verbis probroſis laceſſiſſet Lithotomos univerſos, qui in Italia ſunt ſimul Chirurgi Ocularii, Plancus adduxit Lapium, ut aliam Epiſtolam ad Amicum ſcriberet, in qua oſtenderet inventum de Suffuſione, quae non ſit niſi ex Chryſtallini vitio, novum non eſſe, neque Cocchianum dicendum, ut Morgagnus ipſi Cocchio modeſte ante dixerat, ſed antiquum, quum vel Gaſſendus ipſe & Rolfincius, Borelliuſque id aſſerverint multo antea, at noviſſime diſertiſſimis verbis Maetrejanus & Briſſaeus, & denique Heiſterus, qui tamen a Woolhouſio Britanno contradicuntur, qui acriter contendit dari membranaceam ſuffuſionem, cui favet obſer-

va-

vatione Cataractae membranaceae Academiae Pariſienſis oblatae Litteris Lutetiae Pariſiorum publicus Anatomicus, & cui non repugnat vel Morgagnus ipſe in Adverſariis ſuis. Si Cocchii & Lapii Epiſtolas vidiſſes, Bolboni, numquam dixiſſes Lapium a Cocchio fuiſſe plagii accuſatum, quum Cocchius numquam Lapium, ſed viciſſim Lapius Cocchium laceſſiverit, quod vetera pro novis & ſuis ediderit, & quod ea non omnino firma eſſent, quum celeberrimi Anatomici adhuc ſint, qui pro membranacea Cataracta ſtent. Quare ipſi Lithotomi notandi non erant, praeſertim quum eadem ſit Chirurgica Suffuſionis Curatio; ſive haec ex humoris Chryſtallini vitio, ſive ex Aquei membrana proficiſcatur.

Sic male traducis Plancum, quod anno 1739. graſſante Bovina Peſtilentia ipſe amore Patriae ductus, & ab Alberono Cardinali Legato excitatus, curaverit ut haec Peſtis a Ditione Ariminenſis depelleretur, quam ab Oriente invadere coeperat, quo factum eſt ut Planci conſilio, & remediis Bovinum genus ſervaretur, neque Peſtis ulterius per Aemiliam Provinciam late ſerperet, ſed penitus extincta ſit, quo facto non ſolum Ariminum, ſed reliquae Galliae Ciſalpinae

 140

nae Vrbes gratias Planco habere debent, quod modum docuerit Peſtem illam abigendi, ut Boves qui humano generi tantum ſunt neceſſarii ſervarentur. Tu vero, Bolboni, Plancum derides, & Alipeam, Medicumque veterinarium (*pag.* 48.) appellas; At non ita derident hujuſmodi homines Principes Sapientiſſimi, & Providi Magiſtratus quibus cordi eſt, non ſi verbulum una aut alia litterula ſcribatur, ſed ſalus Regnorum, & Vrbium, quae una cum Armentorum, Jumentorumque ſalute continetur.

Verum tu, Bolboni, nullam pretermittis occaſionem, ut Plancum derideas, & extenues, modo enim feciſti Medicum Veterinarium, ſed quum paullo poſt Regii Conſilii Etruriae Proceres cognoverint ipſum anatome ſua non ſolum humano generi utilem eſſe, ſed & Armentis ipſis, quibus humana vita ſuſtentatur, ultro eum curante Thoma Perellio Piſanae Academiae Aſtronomo ad Senenſe Lyceum, quod tunc inſtaurandum erat, acciverunt, & quum Perellus ſuaſerit Plancum, ut Libris tantum Anatomicis, & Ferramentis Florentiam, & Senas tunc proficiſceretur, Tu, Bolboni, argumentaris Plancum non Anatomes Doctorem Senis fuiſſe deſignatum,

ſed

ſed merum Sectorem (*pag.* 53.) & Cadaverum Inciſorem . At tibi ipſi non conſtas , mi Bolboni , nam alibi (*pag* 58) memoras luculentam Orationem , quam Plancus habuit Senis in Schola magna . Simplices enim Sectores Cadaverum , Inciſoreſque non orationem habent , ſed Anatomico Primario inſerviunt ſectionibus ſuis . Oſtende igitur , Bolboni , qnis fuerit Anatomicus Primarius Senis , cui Plancus inſervierit ? Paulo deinde poſt (pag. 61) dicis Plancum c c *& amplius Diſſertationes protuliſſe ſuper totidem Cadaverum ſectiones , & inciſiones* , quod ſane hyperbolicum eſt & a me nnmquam in Commentario dictum , jactatumque de Planco . Dixi ſolum (*pag.* 394) Plancum ſpatio ſex , ſeptemve menſium , quibus Senis primo anno moratus eſt cc , & amplius Cadavera , tum per ſe , tum per adiutores ſuos in noſocomio , & extra diſſecuiſſe , & diſſertationes in quaſlibet humani corporis parteis publice habuiſſe . Nota a me non dici , ut a te fingitur , & *totidem diſſertationes Plancum protuliſſe* , ſed tantum diſſertationes in quaſlibet humani corporis parteis ; quae ſane vix L a Planco fuerunt habitae , quum ipſe in hebdomada ſemel ant bis tantum publice Senis doceret . At enim docenti

aut

aut nullus , *aut certe pauci* , ut tu ais, *interfuerunt* , ſed falsa narras , nam Auditores ultra quadraginta, dicta Planci adſidue ſcriptis excipiebant ; inter quos Viri , & Primatiae Senenſis Nobilitatis Adoleſcentes , ut Coſmas Marchio Cenninus , Claudius Comes Ptolomaeus Eques D. Stephani , Joannes Pierius Eques D. Stephani , Abas Coſattus Canonicus, Abas Tiburtius Spanocchius , Sylvius Gorius , Hieronymus Cavalcantius , alique ; quibuſcum intererant fere ſemper Nobiles alii permulti Senenſes, & externi, & ex Sacerdotum tum Regularium , tum Saecularium ordine quamplures ; Inter externos Nobileis non reticendus Raynaldus Albicius Florentino-Piſanus, & Sacrae Senenſis Rotae Auditor vir prudentia, moribus, & multiplici eruditione conſpicuus; qui omnes doluerunt ex animo ſe Senenſi munere abdicaſſe , & in Patriam nobilitate , & ſtipendio auctum conceſſiſſe. Plancus igitur a te , Bolboni , deſpectus Sector , & ſimplex inciſor dictus , Senis tot nobileis Auditores habuit . At tu ignorare fingis , Plancus fuerit ne Sector, an revera publicus Anatomes Doctor , ſeu Profeſſor , quum tamen in meo Commentario memoretur , *Jacobus Bertus* qui erat Planci Sector , cui adjutores fuere *Giſmun-*

mundus Medicus Eugubinus , *Onuphrius Valentinus* Aretinus , *Franciſcus Calurius* Piſtorienſis . Deinde ſcio te noviſſe ex Semiſenenſi illo Monticola , & Paedagogo , & in Animadverſionum Libello ſcribendo adjutore tuo , qui narravit tibi Jacobo Berto Profeſtori egregio vita functo ſuffectum fuiſſe *Euſebium Arrighium* cognomento *Dagberum* , qui Planci Sector fuit tertio anno , quo Senis docuit , quem *Arrighium* non memoras , quod olim de illis , & cum illis eſſet , qui Paedagogo amicn tuo faverant . At ponamus Plancum Cadavera ſecuiſſe , ut ſaepenumero per ſe ipſum ſecuit , inglorius propterea ne erit ? Nonne Sectores publici Cadaverum Bononiae ſuerunt , Vir ſummi Guglielminus , & Valſalva , qnos aemulari potius ſtudet Plancus , quam Chartaceos alios Anatomicos , quibuſcum interdum ipſe controverſias nonnullas habuit , quos tu immerito laudibus ſummis extollis , ut Plancum ſemper deprimas , & delicias ; nequicquam , quoniam ipſe elatius emergit , & caput velut inter ſidera condit , ut non ignobilis Poeta habet .

Non ſolum Libros Anatomicos , Medicos , Philoſophicos numquam volutaſti , quibuſcum tibi nulla res erat , ſed neque volutaſti umquam Ephemeridum Libros ,

uti

uti facere ſolent , qui ſpecimen aliquod rerum aliarum extra artem ſuam ſibi comparare volunt , & tamen pro Trevoltianis , quorum Ephemeridas numquam vidiſti ſtare vis , quia aliqua ex me audiſti ipſos in Plancum ex male Planci verbis intellectis protuliſſe ; ſed ſi vidiſſes Ephemeridas Florentinas , cognoviſſes jam Plancum anno elapſo in iis ſplendidam reſponſionem Trevoltianis feciſſe . Item ſi vidiſſes umquam Ephemeridas Venetas ab Apoſtolo Zeno , & ab aliis Doctiſſimis Viris concinnatas cognoviſſes profecto verum eſſe , quod ego aſſervi Trevoltianos illos compilatores non eſſe Italici nominis ~~ſatis amicos~~. Item ſi vidiſſes Ephemeridas illas Venetas , Florentinas , Normbergenſqis quid de Libro Planci de Conchis minus notis , (quem tu inepte *pag.* 47. vocas de Conchis , & de *Conchiliis*), & de Aeſtu maris reciproco , dicant Ephemeridum illarum Compilatores , non dubius ſane haereres, uti haeres (*pag.*41) de eorum judicio , ſed aequiſſimum , & Planco honorificentiſſimum cognoviſſes . Nec tantum memorati Compilatores judicium illud aequiſſimum , & Planco honorificentiſſimum protulerunt, ſed Lipſienſes etiam nuper de eodem Libro in actis anni 1744 idem judicium ſplendidiſſimis verbis , & copioſis confirmarunt .

Quod

Quod ſi aliae Ephemerides tibi non ſuppetunt, has ſaltem noviſſimas Lipſienſeis videre poteras apud Comitem Julium Fagnanum Virum egregium, & in Mathematicis peritiſſimum Plancique noſtri amiciſſimum, quo ex multis annis per Litteras ad arcana naturae inveſtiganda familiariſſime utitur, cujus & filii ejus excellentis Mathematici itidem amicitiae neſcio quomodo in meo Commentario memoria exciderit. Item ſi vidiſſes opuſcula ſcientifica Lucenſia, & Calogeriana, & poſtremo ſplendidam Phytobaſani Columnae cum Additionibus, Adnotationibuſque Planci, aut tacuiſſes. aut de eo non tam inique loquutus fuiſſes. Tu ne Titulos quidem Librorum Planci, ut apparet vidiſti, nam, ut vidimus, ut cites ejus notiſſimum Librum de Conchis minus notis, & de Aeſtu reciproco Maris ſuperi; ſic inepte eum citas (*pag.* 47 *l.* 7.) *Scimus & nos te binos edidiſſe Libros alterum de Conchis*, & Conchilus; *alterum de Marino aeſtu*. Tu inquam ne attente quidem legiſti Titulum hujus Libri in calce mei Commentarii, nam ſi attente legiſſes, non tam inepte exſcripſiſſes de *Conchis & Conchilus*; Conchae enim, & Conchylia, ſeu *Conchilia*, ut imperite ſcribis eadem res ſunt.

Summa denique contumelia, quod Plancus

cus nobiliſſimae, jucundiſſimaeque Hiſtoriae naturae animum applicuerit ſuum, vocas eum *Baſtazonta* ideſt *Bajulum*, Purgamentorum maris (*pag.* 4.), quod ipſe in ſedimento maris diligenter conquiſierit Conchylia, Herbas, Reſque alias ad Hiſtoriam Naturae conducentia, eaque ſecum in domum ſuam adſportaverit. Verum ſi hoc pacto ſtudia Planci contemnas, vide, mi Bolboni, ne ſimul contemnas diligentiam Studioſorum omnium, Quilibet enim dum alicui ſtudio animum adiungit ſuum, neceſſe eſt ut multos ferat labores, qui quodammodo ignavis ſerviles videntur '. Sic Botanicus per Monteis, & Valleis, Lacuſque neceſſe eſt ut concurſet, herbas, & radices decerpat, & avellat, ſecumque afferat, ſi peritus in Re Herbaria fieri vult. Eodem fere pacto incedit Naturae Hiſtoricus; Sic Anatomicus per te lanienam quaſi exercebit, antequam artem illam diſſecandi diſcat, in eaque peritus fiat, & celebretur. Sic qui Grammaticus, ut tu, eſſe vult, neceſſe eſt, ut multo labore Lexica & enarratores Bonorum Auctorum evolvat, ex his multa decerpat, notet, & in adverſaria referat, quae omnia niſi ſervili quodam labore fieri non poſſunt, quem laborem quum averſatus ſis, ut apparet, mi Bolboni, nil mirum ſi interdum, ne di-

cam

cam fere ſemper , tantopere rudis in arte tua videaris .

At fortaſſe aliquo pacto ferendus eſſes, Bolboni , ſi Planco licet immerito inſcitiam , paupertatem , nominiſque obſcuritatem affinxiſſes , his non contentus conaris iniquo jure ſummos Viros , lectiſſimaſque foeminas in eum excitare , infenſaſque ipſi facere , ut odioſum ſit ejus nomen apud omneis. Ut a Foeminis exordiar . Tu infenſam ipſi facis [*pag* 22.] Lauram Bentivolam , & [*pag*. 57] Lauram aliam Baſſiam Lectiſſimam foeminam utramque , & ſapientiſſimam , & Planci amiciſſimam , ut quilibet noſcit , & ex mutuis litteris Planci & Ipſarum notum melius fieri poſſet . Sic Leprottum , qui per triginta & amplius annos familiariſſime uſus eſt Planco , & utitur , & qui ejus ingenii excellentiam publice commendavit in Commentario Academiae inſtituti [*pag*. 345.] facis , ut ſubobſcure notet Plancum pro contentioſo homine , quum ibi pro ſumme aſſabili , & deferenti praedicetur , qui propria inventa aliis integrum faciat publicare , & quaſi pro ſuis edere . Sic dicis Plancum ingratum fuiſſe erga Bazzanum Medicum Bononienſem Doctorem ſuum , quem ſemper ſuſpexit , & ſuſpicit , ut apparet etiam in Vita Andreae Battaglini (*pag*. 145.) quam

quam nuper edidit Plancus. Sic dicis *la- tenter* (*pag.* 57.) & inique a Planco *ſi- gillatum* fuiſſe *Beccarium*, quod pro Me- dicis Practicis Scholae antiquae praeoccu- patum viderit, quum is notetur aperte, & multo apertius a Beccario ipſo id appa- reat in ejus Conſilio, ſeu Diſſertatione pro reciſione Sylvae Viareginae in Agro Lucenſi, in qua Beccarius innumeros ve- teres ſcriptores obſoletos, & barbaros ci- tat, ut ipſe non empiricae, vel ſi mavis, docimaſticae Philoſophiae, & Chymicae Profeſſor, ſed ſtrenuus Arabum, & Ga- lenicorum Doctrinarum Adſertor videa- tur ut viſus eſt quidem quamplurimis ſummis Viris, qui Diſſertationem illam viderunt. Sic vitio vertis Planco, quod dixerit in Cadaverum Hydrophoborum non reperiri ea, quae dicit reperienda eſſe Boerahavius, ut revera non reperiuntur (*pag.* 66) ut quater obſervavit Plancus, & ex eo Paſchalius Medicus Florentinus edidit, pro quo potius Planco agendae ſunt gratiae quod errores detegat, & non notandus, quod auctoritate ductus in ver- ba Boerahavii alteriuſve Barbati non ju raverit. Sic creare tentas odium in Pl- cum ex Equite Galeoto Cortoneſi, quem tamen Plancus nobiliſſimum V. um vo- cavit, & cujus numquam eſt adſpernatus Muſeum, ut tu ais (*pag.* 65.), in quo

qui-

quidem Muſeo per multa ſingulariaque ſimulacra aerea antiqua adſervantur, variaque veterum inſtrumenta, & eujus Viri humanitatem, comitatemque Plancus praedicat, quod eum duxerit in Publicum Academiae Muſeum, & Bibliothecam; ubi ſi Plancus non ea viderit, quae fama praedicat, laudandi magis ſunt Cortonenſes, quod parvis initiis tot progreſſus in re antiquaria ſecerint, & anſam dederint, ut quinque volumnia diſſertationum eruditiſſimarum Academiae eorum ederentur; Item non inhoſpitales a Planco, ut ajs, vocantur Cortonenſes, quum humaniſſimi ſint, & nobiliſſimi, ſed inhoſpitale ei viſum ſit Oppidum illud, propterea quod in acclivi poſitum ſit, ut ad id non tam ſacile divertantur Viatores, ſed recta Peruſium, ut omnes norunt, contendant.

Verum non contentus, Bolboni, quod Nobiliſſimos Homines, & probatos, Lectiſſimaſque Foeminas eaſque ſapientiſſimas in Plancum excitare conatus ſis, ut odium ipſi creares, Tu Coetus Academicos, tu Civitates ſere integras in eum excitare conaris eodem pacto, ut Bononienſeis tuos, ut Venetos, ut Senenſeis, ut Piſaurenſeis, ut Cortonenſeis, ut denique Ariminenſeis ipſos, nequicquam, quoniam quiſque Bonus, & ſapiens Plancum

cum bene noſcit, & potius eum inimicum amat, quam te amicum. Sciunt enim omnes numquam odio privato quempiam laceſſiſſe, ſed amore tantum veritatis; quare ipſe, & ego non te odio habebimus umquam, Bolboni, ſed tantum errores tuos & mendacia deteſtabimur. Ipſe enim ut ego dixi, nullius fere magis obliviſcitur, quam injuriarum, imo quum fato quodam, ut ita loquar, ab amicis ipſis, & praeſertim ab iis quibus bene fecerat, ſaepe injuriis fuerit laceſſitus, eas ſilentio plerumque praeterivit, ſciens hoc interdum, ut Nepos ait de Epaminonda, non minus prodeſſe, quam diſerte loqui. Te igitur numquam imitabitur, Bolboni, qui non contentus quod ipſum falſo inſcitiae, vanitatis, nominiſque obſcuritatis accuſaveris, eum denique violatae Religionis inique reum facis; nam [*pag.* 5) eum, *omnia (quod eſt deterius) fere jura, pene dixerim divina humanaque contemnentem*. Et (*pag.* 24.] ais Plancum ludicris Narratiunculis Boccacii ſtilo *ſacra prophanis immiſcuiſſe*, & falſo quaedam ſomnia fingis, quae numquam in Planci mentem venire poterant. Gratis igitur primo aſſeris Plancum *jura pene divina humanaque contemnentem*. Deinde omnino falſum eſt Plancum umquam in Academia Inſulani Narratiunculam ullam recitaſſe;

taſſe ; Vnice tantum in illa Academia, & ſere ex tempore eſt loquutus, initio ſcilicet anni 1720., antequam Narratiunculam ullam conſcripſiſſet. & tu, Bolboni, ſcis unice eum ibi eſſe loquutum, quum diſſertationem illam Planci in alio Libello *Homyrens Bonodes* nomine alio modo traduxeris; adeo verum eſt tritum illum adagium oportere memorem eſſe mendacem. Neque umquam tam putide loquutus eſſet Plancus *de quinque illis talentis*, quae tu fingis ſuis narratiunculis admiſcuiſſe. Sed alius Paedagogus tui ſimilis fortaſſe ita eſt loquutus; nam quidam tunc, quum vidiſſent Plancum propter Boccaccianas illas Narratiunculas acceptum veniſſe & gratum Cornelio Bentivolo Cardinali, & aliis eruditis, Principibuſque viris, Planci imitatione quadam putidas, ſpurciſſimaſque Narratiunculas conſcripſerunt, quas aliqui imperiti Planco tribuebant, pro quibus iratus Plancus treis quattuorve Narratiunculas ſuas ſuppreſſit omneis, & combuſſit.

Quare ex his omnibus apparet Te, Bolboni animadverſionum ſpecie, accuſationis & calumniarum libellum, ſatyramque ſimul acerbiſſimam in Plancum conſcripſiſſe, quod & tu ipſe fateris; praeſertim illis verſiculis, quos adjungis in fine:

Qui me commorit, (melius non tangere clamo)

Fle-

Flebit, & inſignis tota cantabitur Vrbe.
Plancus quidem numquam te commovit, ſed tantum XXV. abhinc annis te verbis amice monuit de erroribus quibuſdam in lingua latina, & in Hiſtoria Calendarii illius tui. Si propter hoc mereatur ipſe ut bis a te *Homyrens* illius *Bonde* nomine & nunc Animadverſionum ſpecie occinatur, alii viderint; ſed antequam, Bolboni, alium quempiam denuo occentes, memineris prius velim Legis XII. Tabularum *Si quis carmen occentaſſit, quod alteri flagitium faxit &c.* Plancus certe tibi non eſt iratus, Scit enim ſatyricos verſiculos plerumque in ſummos Viros ab impotentibus & invidis conſcribi, neque ipſe imitabitur umquam Protomedicum illum popularem tuum. neque Nomenclatorem illum magnum Tyrrhenum Adhortatorem tuum, qui ſaepenumero a Magiſtratibus opem implorarunt, ut vindices eſſe vellent, vel cognitores errorum, quos ipſi in Re Litteraria commiſerant & ab aliis publice damnati fuerant. Ipſe enim per ſe honeſte, & diſerte ſcit Plancus ſe ipſum, & ſua ſcripta defendere.

Hactenus, Bolboni, errores tuos facti, ſeu ſplendidiora tua mendacia curſim expendi; Dico curſim, nam alia ſunt permulta aeque ſplendida in Libello tuo, quae a me notari poterant, attamen brevitati ſtudens conſulto ea omiſi, Nunc veniendum

dum

dum ad errores Dictionis, ſeu Verborum, quos tu paſſim in Commentario meo de Vita Planci carpis; verum dum hoc facis plerumque gravius tu in Dictione peccas, & propterea minus es ferendus. Si Plancus & ego interdum aliquo Dictionis vitio laboremus ignoſcendum eſt nobis quippe qui gravioribus ſtudiis occupati ad grammaticorum minutias non ſemper attendere poſſumus. Si Plancus quidem non aeque bene ſemper ſcribat latine, tamen ſemper non vulgaris Medicus & Philoſophus erit, Anatomicus inſuper erit & Botanicus, Graecae Linguae, & aliarum Linguarum peritus, Vir denique praefiſcine omni pene ſcientiarum & eruditionis genere ornatus. Tu vero, mi Bolboni, ſi male ſcribas latine, ut plerumque facis, & in ipſam artem tuam grammaticam, qua vivis, ſi pecces, quid tibi remanebit, ut in Eruditorum coetu loceris, nil profecto, Philoſophiam enim, & reliquas bonas Arteis ignoras, & quamquam in Epiſtolis tuis *Homyreni Bonodei* nomine te Geometriae Candidatum inſcripſeris, tamen Loricati illius pſeudo-geometrae diſcipulus eras, qui quamquam magno hiatu quondam promiſiſſet, velle ſe biennio decem Candidatos ſeu Diſcipulos creare in geometria, quorum quilibet Manfrediis eſſet aequalis, attamen ſexennio, ne librum quidem primum Elementorum Euclidis po-

tis

150

tis fuit enarrare ; quare munere ſuo ſe abdicavit, & inter Allobrogas conceſſit ; ſed his miſſis ad Grammaticae errores tuos veniamus , in quibus expendendis tecum utar aequiore jure , quàm tu mecum ; non enim tibi affingam errores Typographicos, ut tu mihi feciſti ; Propterea *Bolbonium* legere maluiſti loco genuini tui nominis , & *foro* loco vocis *bono* , ſic *intactos* loco *intactis* , quamquam omnia in calce libri fuiſſent a me emendata .

Carpis igitur (*pag.* 15.) phraſim latinam *familiariter uti pro amicum eſſe intimum* alicujus , & longam feriem Iſtius locutionis ex meo Commentario congeris , at hoc latiniſſimum eſt & in Cornelio Nepote frequentimum , & a Cicerone ipſo non ſemel , ut tu fateris , uſurpatum . Quid opus erat hoc toties carpere , & me tantopere propterea deridere , & tot verbas congerere ? Sic (*p.* 19.) dicis *obſoletam eſſe , & manufactam* phraſim : *Medicinam facere* ; quae tamen latiniſſima itidem phraſis eſt , & Auctorum propria aurei Saeculi , ut vel ex ipſo Phaedro Auguſti Liberto diſcere poteris, cujus nitidas fabellas Pueris tuis , ſi ſaperes , explicare deberes , qui hac locutione utitur , & non illa tua *Medicinam exercere* , cui ſubrogas , quae ab Italorum vernacula lingua derivat . Sic (*pag.* 15.) damnas *Empiricam* Philoſophiam ignoratione Linguae Graecae , nam *Empi-*

rica

rica Philoſophia ſignificat Experimentalem Philoſophiam, cujus temporibus Planci Bononiae Doctor erat in Inſtituto Beccarius. Haec Philoſophiae pars, quae per experimenta procedit dicitur etiam *Docimaſtica*, quae idem ſonat ac *Empirica*, ut norunt Graecae Linguae periti. Sic eadem ignoratione Linguae Graecae ſcribis (*pag. 27.*) *Elitropiam* pro *Helitropiam*, ſic ex eodem fonte ſcribis (*pag. 37.*) *Coragus* pro *Choragus*, quibus in locis quum rideas Plancum tu magis ineptus es & ridiculus. Sic, ut dixi ſupra, male (*pag. 47.*) dicis Plancum egiſſe de *Conchis*, & de *Conchiliis*, numquam enim Plancus tam inepte eſt loquutus, & *Conchylia* per y ſcribi debent. *Muſaeum* ſemper & *Lycaeum* (ut *pag.* 65. & alibi) per *ae* ſcribis, quum utrumque per ſimplicem *e* longum ſit ſcribendum, quum a diphthongo ει graeco derivet, & non ab αι. Sic (*pag. 64.*) ignoratione Geographiae ſcribis *Clunio* pro *Cluſio*, ſic male ſemper ſcribis *Piſaurienſis* loco *Piſaurenſis*, & tamen nomen Vrbis Piſauri ignotum tibi eſſe non debuerat, quum urbs illa ſit tibi modo pene finitima, & in qua Cives quamplurimi eruditi reperiuntur. Nimis ſubtiliter carpis (*pag. 65.*) *Politianum* pro *Monte Politiano*, & hoc in loco meminiſſe debueras *Angeli Politiani* excellentis Poetae & Grammatici. Ridicula eſt tua explicatio (*pag. 52.*), quam tamen corſivo charactere,

ut

ut vocant, Planco quaſi affingere vis, *Teſſerarum* pro *Petrarum fruſtis*. Teſſerae enim Antiquariorum non ſunt, mi Bolboni, Lapideae, ſed ex Oſſe. Non enim ex his fiunt teſſellata Opera, & muſiva, ut tu inepte arbitraris, ſed ſigna erant Hoſpitalitaris &c. ut apud Thomaſinum Auctorem Grammaticis eruditis ſatis notum videre potes. Item ignoratione rei Antiquariae notas me ad *Figlinas* addidiſſe ut *vocant*. Heic enim non de quocumque opere figlino loquor, ſed tantum de laterculis illis litteratis, qui Inſcriptiones continent. Nimis tibi grara eſt, Bolboni, vox *ſugillare*, ut Plancum perſtringes, nam pene inuſitata eſt apud probatos Auctores, Cicero enim ea numquam eſt uſus; & Plancus Epiſtolas, & Libros ſugillanteis, ut vis, non conſcribit. Nimis ſubtiliter carpis ab *Orci faucibus eripere*, & illud *Orcum inviſere* (pag 64) quum haec elegantiam potius, quam ſuperſtitionem ſapiant; meminiſſe debueras illud Lucretii minime ſuperſtitioſi hominis, ſi umquam legeris: *An tenebras Orci viſat, vaſtaſque lacunas.* Sic nimis minutus es dum carpis *defunctum* pro *vita defunctum*, quum heic ellipſis ſit notiſſima. Sic inepte carpis *arteis docere*, cuum quilibet dicat, & ſcribat Grammaticam docere, Rhetoricam, Logicamve docere, quae artes ſunt.

Verum tu Paedagogus eruditulus non

con-

contentus Plancum noſtrum, & meum de Planco Commentarium ubique puerilibus tuis iſtis nugis perſtrinxiſſe, in alium etiam Virum longe doctiſſimum diverteris, Lamiumque notas (*pag* 62.), quod in vita Benedicti Breſciani (dicere tamen debueras in vita Friderici Jannettii) ſcripſerit *perculſit* (*pag*.70), quod tu volebas *perculit*, attamen Calepinus tuus, & Stephani Lexicum utrumque habet praeteritum, licet primum dicatur dubium. Quo in loco modo noto te per ſummam contumeliam more tuo finxiſſe, ut Lamius inter ſua Commentaria Virorum Italorum eruditione praeſtantium meum Commentarium de Planco addidiſſe, quaſi ut *Exodion*, ut ais (*pag*.4), ſcilicet ut carmen ridiculum, quod falſiſſimum eſt, & ſumme contumelioſum, quum Lamius Plancum ſuſpexerit ſemper, ut perpetuo ex ejus Ephemeridibus apparet, & ex ipſo hoc libro in Vita nempe Franciſci III. Magni Ducis Etruriae, qui eum laudat (*p*.348.) quod ab eo. *Cura quoque diligenti or de Atheneo Senenſi habita ſit Anatomes Profeſſore* Jano Planco *Medico celeberrimo Arimino evocato, & lauto ſtipendio conducto*. Qui Lamius curavit etiam, ut Plancus Academicus Apathiſta & Florentinus crearetur. Sic ut tua hac ſubtiliori Grammatica fias ex Paedagogo publicus Accuſator, carpis Plancum, quod dixerit foeminam ſui *Amicam*, forma, inge-

ingenio, & moribus praeſtantem, nam illud moribus praeſtans ſatis Planci, & mei ſenſum declarat.

At parva accuſatio eſſet tua de amore cum foemina, alio in loco, ut in voce *Orci* ſuperſtitionis; ſic impietatis Plancum accuſas (*pag*.5.) quod *Veſtalis* dixerit loco *Monialis*. Dicis illud *poëtice* eſſe dictum & fere *impiè*. At haec vox *Veſtalis* apud Auctores politos paſſim reperitur ſine ulla impietatis nota, quum illa *Monialis* ſit barbara, Graeca enim neque eſt, neque Latina At tu tam pius, & religioſus, qui ſuperſtitionis & impietatis metu in Commentario meo damnas *Orci* & *Veſtalis* voculas, cur quum Chriſtianus nomine ſaltem tenus ſis, tam frequenter per Herculem, & per Aedem Pollucis juras, qui non minus falſa ſunt numina, quam Orcus, ſeu Dis Pater, & Veſta? Aedepol enim habes (*pag* 40 59 60.) & Mehercule (*pag*.19) & alibi, quod etiam in emendatione ad calcem Libelli tui adjecta probas. Meminiſſe debueras quando ſic jurabas praecepto Emmanuelis Alvari auctoris ſane doctiſſimi & pientiſſimi, quem prae manibus ſemper habere deberes. qui docet (*Inſtitut. Grammat l.1. cap*.14) Hercle, Mehercule, Aedepol &c adverbia eſſe jurandi, *quibus tamen*, ut pie ſubjungit, *uti Chriſtiano non licet*. Plancus certe in ſuis ſcriptis hujuſmodi jurandi formulis numquam eſt uſus; qua-

re

re melior Alvari Sectator, quam tu, & te ſanctior, quem tamen alia ratione ſuperare, vel ſaltem aequare debueras.'

Hactenus ſunt, mi Bolboni, quae pro Planco ad te reponere mihi placuit, multo ſane plura erant tum ex mendaciis tuis facti, tum in Dictione Latina ac praeſertim in Dictionibus Graecis, qui accurate nullas ex his ſcribis, ne *Palinodiam* quidem, quam ſi ſaperes ex animi ſententia cantare deberes quae reponere poteram, verum brevitati Epiſtolae & temporis ſtudens conſulto ea praetermiſi, Non enim, ut tu qui treis & amplius annos partum tuum velut Vrſa lambit Catulos ſuos ſic tu partum iſtum informem lambendo intra ſinum tuum foviſti, ut tamdem Mutinam, ut eſt in proverbio minus informem, adduceres Ego vero Commentarium illum de Planco otii gratia autumnali tempore tribus matutinis diebus, ita reſponſionem hanc eodem ipſo tempore, & paullo minori concinnavi, & ad te mitto, in qua ſi quid exciderit minus bene latine dictum, veniam dabit aequus lector, quam ſane tu a nullo impetrabis, qui triennali meditatione tam imperite tum in rebus ipſis, tum in ſermone es loquutus Vale

Datis Coſmopoli Idibus Septembribus
Anno cIↄIↄccxxxxv.

Pag. VII *lin* 18 Laeritum *lege* Laertium.
Pag. XVII. *lin* 29. ſuerant fuerunt.